# SAMSON VINDICATVS

## *DRAMMA SACRVM*

DECANTANDVM

In Sacello Archiconfraternitatis

SANCTISSIMI

# CRVCIFIXI

*Die 25. Martij 1695.*

ROMÆ, MDCXCV.

Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.

*Superiorum permiſſu.*

# INTERLOCVTORES.

Samſon.

Rex.

Dalila.

Præfectus Militum.

Chorus Principum Philiſteorum.

# ARGOMENTO.

*Accortoſi il Rè de' Filiſtei, eſſere vano ogni tentatiuo contro le forze di Sanſone, delibera col Commandante dell' Eſercito deporre l' Armi, e ſeruirſi della frode di Dalila per abbatterlo. Queſta ineſcata dall' acquiſto dell' oro promeſſogli da Prencipi Filiſtei, doppo auerlo adormentato con luſinghe, lo ſpoglia de Capelli, oue celauaſi la ſourumana ſua fortezza; Indi datolo in potere de' Nemici, e fatto priuo degl' occhi, forzato à ballare nell' ampio Teatro della Città, oue con l' aiuto*

*Diuino, ricuperate le forze, atterrò la Fabrica, i Filiſtei, e ſe medeſimo; Laſciando a' Poſteri memorabile eſempio della Diuina Giuſtizia vendicatrice de' ſuoi oltraggiatori &c.*

# PARS PRIMA.

*Rex.* SIlete clangores, ſilete,
Rex imperauit.
Quid ſegnes agimus Principes Philiſtei?
Indomitus vinci Samſon hùc vſque noſtros
Deriſit enſes; quotiès oppugnatur
Agit ipſe partes expugnantis:
Vnus in omnes bellat;
Vltro non eſt ferendum.
Hactenùs ſuere
Iræ ſi fragiles, vitrei terrores,
Mutemus Arma, veniant amores,
Blandaquè Samſonem contrà ſit Dalila, Samſon.
Altas ſegetes, ſpes Floræ
Igne Samſon concremauit;
Fulminetur ab amore,
Qui nos ante fulminauit.
Altas &c.
Decreta mentis vobis expoſui: Placent?
*Præfect.* Nulla maior, ò Princeps, eſt belli gloria,
Quam, quæ parcit ſanguini victoria.
Monet ira nos bellare,
Iubet arma ſed ponere ſors:
Pulchrum erit triumphare,
Si non tela rotauerit mors.
Monet &c.
*Rex.* Pereat.
*Præfect.* Pereat.
*Ch.Phil.* Pereat.
*Omnes.* ( Non terrore,
( Sed Amore
( Concrematus, fulminatus.
Pereat &c.

 *Præf.*

*Præfect.* Aduentat ecce Dalila;
Locum vacantem teſte deſiderat fraus:
Nos hinc abimus.

*Dalila.* Imperijs accita tuis, hùc Dalila veni:
Parere ſum prompta; Committe quod iubes.

*Rex* Nouiſti Samſonem?

*Dalila.* Ah nomen fatale.

*Rex.* Noſti vt in nos non deſinit ſæuire?

*Dalila.* Vellem neſcire.

*Rex.* Tù tamen es fœlix, quam de tot millibus vnam
Hic ferus, & Patriæ publicus Hoſtis amat.

*Dalila.* Sors mea non fœlix
Si iubet amare,
Quem omnes odere.
Quid magis infœlix!
Amantem vocare,
Et hoſtem videre.
Sors &c.

*Rex.* Scrutare amantem; parte qua corporis latet
Tam grande robur, vltrà mortales datum.

*Dalila.* Samſonis omnis virtus in crine latet.

*Rex.* Reuelle crinem.

*Dalila.* Prodere Amicum horreo.

*Rex.* Patriam Amico præfer:
Spondemus aurum inſuper; ſed vltrà
Pretium, eſſe meritum fatebimur.

*Dalila.* Quid fama dicet?

*Rex.* Fama te centum tubis dicet felicem,
Et victoris omnium victricem.
Plaudet terra, plaudet mare,
Canet vnda, canet ventus;
Nomen Dalilæ ſonare
Diſcet aeris concentus.
Plaudet &c.

Deteſtor hoſtem Patriæ; amantis pudet.

*Dalila.* Quem ſola amaui, vtinam liceret mihi
Odiſſe ſoli; omnibus inuiſum queror,
Quæ reſtat odio in tanto iam laus meo?
Sed ſola perdam:
Si mella Samſon duxit è Leone,
Mel vltionis ducam è Samſone.
Ille fortitèr pugnando,
Dulcem fecit feritatem:
Ipſa infidè ſed amando,
Feram faciam pietatem.
Ille &c.

*Rex.* Recedo; opus perfice commiſſum tibi.

*Dalila.* Quàm opportunè nunc ad me venit,
Non aſper, ſed mitis
Philiſteorum Carnifex immitis:
Simulabo, ſalutabo.

*Samſon.* Hæc ora ridentis

*Dal. & Samſ.* à 2. Hæc labra loquentis
Sunt animæ pax.
Spes boni ſuauis,
Vt Iris oblectat,
Colore delectat,
Non metus eſt fax.
Hæc ora &c.

*Samſon.* Dalila, cùr adeò feſtiua occurris amanti?
Cum ſis plùs ſolito læta, timere iubes.
Mare ridet dum ſerenum,
Nautæ palpitant horrore,
Nè quod Siren canit ore,
Bibant muſicum venenum.

*Dalila.* Non eſt cur timeas:
Me Philiſteam licèt
Credas fidelem; ſed caue nè ſis idem
Tibi parùm fidelis ob nimiam fidem.

Accede cominùs, & noſtra ſuper genua
Caput reclina.
Pone luctus,
Seda fluctus,
Si ſum ego tua ſpes:
In quiete,
Dormi lætè,
Mea quies Samſon es.
Pone &c.

*Samſon.* Gaudia ſuſpecta teneo,
Quid ſit ignoro;
Lætor, & ſimul mœreo.
Iuuat tamen dormire,
Forſan tumultus animi componet quies.

*Dalila.* Ad ſuſurros vndæ tremulæ,
Dormit Roſa Aprilis filia:
Auræ ad murmur fontis æmulæ,
Pax amica inclinat lilia.
Ad ſuſurros &c.

2.ª Auis blandæ audito iubilo,
Strata ſomno torpent flumina:
Pulſo mentis atræ nubilo,
Lene ad melos ſopi lumina.
Auis blandæ &c.

Iàm dormit Hoſtis: Malis impono finem.
Reſpira luctu Patria, ſcindo crinem.

# PARS SECVNDA.

*Præfect.* PVgnaſti, viciſti,
Cum vinclis luctari
Eſt vana iam res;
Deſiſte mirari;
Qui priùs fuiſti,
Iam Samſon non es.
Pugnaſti, &c.

*Samſon.* Quis mihi me rapuit?
*Dalila.* Ego te tibi. Samſon agnoſcis comam?
*Samſon.* Hanc ferite nubes fulmine;
Cadat victima furoris.
Nulla pulchrior vindicta,
Nulla iuſtior ſagitta,
Læſa iura ſunt amoris.
Hanc &c.
2. Hanc vltrices Diræ perdite,
Pauper fulminum eſt Cœlum;
Fecit fidem infidelem,
Amicitiam crudelem,
Par nocenti non eſt telum.
Hanc &c.

*Dalila.* Es viuere indignus Samſon, Indignus mori;
Nec viuere te totum, nec totum mori;
Sed imperfecta morte punitum volo.
Illum me coràm, ò Gentes iratæ,
Ore meo, Rex imperat, excœcate.

*Samſon.* Feci oculos tunc reos,
Vbi primum te videre,
Poſtquàm tibi placuere,
Iam non vltrò credo meos.

*Dali-*

*Dalila.* Adibo Regem Nuncia lætitiæ:
Vos interìm Samſonem catenatum
In Theatrum raptate.
Diù riſiſti
Fœlix amator,
Fortis bellator,
Mutantur res.
Cauſa fuiſti,
Si luctus atri:
Pompa Theatri
Iàm Samſon es.
Diù &c.

*Samſon.* Amor, furor, ambo cœci
In vindictam conſpirate,
Amantis cœcitatem vindicate.
Peccaui, Domine peccaui.
Si non oculi lugere,
Poſſunt corda ſuſpirare,
Sed & flebo, ſi dolebo;
Eſt amare velle amare,
Erit flere velle flere.
Agite milites, quò rea iuſſit fœmina, pergamus.

*Dalila.* Rex æternùm ſalue; Vt imperaſti
Samſonem dormientem, crine primùm exarmaui,
Mòx oculis etiàm ſpoliaui.
Vides reciſæ nobilem crinem comæ?
Dagonis Aræ ſpolium affigi decet.

*Rex.* Amor Samſonem
Cœcum dùm videt,
Parem deridet,
Lumen quod deeſt.
Gaudet prædonem
Vinctum videre,
Atque irridere,
Hic Samſon eſt. Amor &c.

*Dali-*

*Dalila.* Sed ecce, iàm propinquus auditur fragor;
Captiuus adeſt.
Oh' vtinam oculos nùnc haberet,
Vt me videret:
Non torquetur me videndo,
Torqueatur audiendo.
Tibi ſaltandum eſt; Regis edictum iubet.
Non æterna rigoris eſt pœna
In dura catena,
Quæ tenuit te.
Liræ ad ſonum ſit planta ſonora,
Sit Regi decora,
Delectet & me.
Non æterna &c.

*Samſon.* Recede monſtrum, ſemper inimica,
Quoties ad me venis vt amica:
Parebo Regi.
Fidicen plectrum ſona.

*Symphonia choreis accommodata.*

Silete.
Hùc vſque luſi, minimum quietis rogo
Benigne miles; liceat laſſam animam
Refocillare; Ludos mòx alios dabo,
Quos nemo nouit meliùs quàm Samſon dare.

*Præfect.* Honeſta poſcis; Illum admouete
Regalis Templi proximum columnis,
Reſpiret ibi.

*Chorus.* Plaudite claſſica
Tubæ ſonate:
Victorem Leonis
Alciden Sionis
Deuictum cantate.
Plaudite &c.

*Sam-*

*Samſon*. Vbi es Deus meus, vbi es?
Audis impium clamorem,
Et lentus adhùc induis vltorem?
Sed quæ virtus inſolita me totum replet?
An crines reflorere
Tonſi verticis cæpere?
Subit venas iàm vigor horribilis
Philiſteos quid poſſim docebo:
Ipſe cadam, ſed hoſti apparebo
Nunquàm magis, quàm morte terribilis
2. Sterno tecta, (cor Numine tangitur.)
Magìs Samſon laudandus dùm perit
Par ruinæ præcipitans erit,
Super ea, quæ diruit, frangitur.

# *FINIS.*